

nis, etc. ratione cujus una existentia distinguitur ab alia, et hanc coarctationem, seu limitationem habet existentia non ex suo proprio conceptu prout correspondet enti, sed prout correspondet tali enti, seu naturæ ad quam coarctatur, et limitatur. Dicimus ergo quod esse est effectus proprius Dei secundum rationem ultimæ actualitatis, et secundum universalitatem suam, qua correspondet enti, ut ens est; sed secundum id quod habet de restrictione, et specificatione ex parte talis, vel talis naturæ, cuius est esse: sic correspondet etiam agenti creato, quod producendo formam seu naturam producit etiam esse, ut restrictum ad talem formam. Et hæc explicatio sumitur ex D. Thoma, qu. ix, de potest. art. 1, in corpor. ubi inquit: « Quod causalitates entis absolute reducuntur in primam causam universalem: causalitas vero aliorum, quæ ad esse superadduntur, vel quibus esse specificatur pertinet ad causas secundas, quæ agunt per informationem, quasi supposito effectu causæ universalis. » Non est autem inconueniens, quod aliquis effectus secundum diversas considerationes respondeat diversis causis, et sic existentia secundum rationem actualitatis universalis, et communis omni enti, correspondet primo enti, secundum vero specificationem, et restrictionem suam, quam habet ex eo, quod est existentia talis entis, correspondet causæ secundæ productivæ talis entis.

XVI. Potest tamen adhuc profundius explicari ista differentia inter creaturam, et Deum quoad productionem existentiae ex parte modi operandi causæ creatæ, et Dei, nam prima causa est pure efficiens, sed efficit transmutando. Unde solum habet pro objecto id quod est producibile per transmutationem: esse

autem per se loquendo non est effectus, et terminus transmutationis, sed efficientiæ, et ita per se loquendo est proprius effectus pure efficientis, ex aliquo autem adjuncto est effectus transmutantis, scilicet ratione formæ, quæ per mutationem producitur. Et fundatur hæc explicatio in D. Thoma in ii, dist. xv, qu. 1, art. 11, ubi inquit: « Quod, duplex est agens, scilicet agens divinum, quod est dans esse, et agens naturale, quod est transmutans, et primus modus actionis soli Deo convenit, sed secundus modus etiam aliis convenire potest. » Ratio autem hujus est, quia illa forma per se est transmutabilis, seu per mutationem producibilis, quæ habet aliquam formam contrariam, vel privationem in materia, per cujus mutationem materia transeat de privatione ad actum. Esse autem loquendo per se non habet formam sibi contrariam, vel privationem, quia existentiae non opponitur aliud, quam nihil, est enim actus entis, in quantum ens, et pro effectu formali habet ponere rem extra nihil, ergo ex vi hujus conceptus, qui est proprius existentiae, ut existentia est non convenit illi produci per mutationem, sed per influxum Dei, per cujus suspensionem res reducitur in nihil. Ratione autem formæ, quæ producitur per transmutationem, etiam ipsum esse, quod consequitur formam, seu productionem ejus per transmutationem potest produci et attingi, licet dependenter ab influxu Dei. Et ratione hujus influxus ita habet Deus producere esse, quod ab unaquaque re debet esse se indistans, productio autem ipsius esse solum per transmutationem, et ut consequens ad formam transmutatam per se non requirit ad indistantiam agentis, sed per virtutem a se diffusam potest sic produci.

XVII. Ad rationem dubitandi a principio concedimus, quod esse etiam producit ab agente creato, ut a causa principali, et secundum virtutem agendi quam habet, licet specialibus modis correspondeat Deo, ita ut sit proprius effectus ejus, sicut explicatum est. Et inter animam rationalem, et existentiam est manifesta differentia, quod anima rationalis ita producitur a solo Deo, quod nullo modo etiam virtute Dei potest produci a creatura: existentia autem secundum Div. Thomam producitur ab agente creato saltem sub ratione transmutati, et secundum specificationem, quam habet a forma, et sic non solum unitur ab agente creato, sicut anima rationalis materiæ a generante, sed vere procedit ab illo, sicut etiam actus secundus operationis, licet excedat actualitatem potentiæ, seu actus primi, tamen vere, et proprie procedit ab ipso, ut actuato, et determinato per auxilium Dei, et non solum unit ipsam rationem actus secundi actui primo: sic philosophandum est de existentia, quæ est actus secundus entitativus, licet enim excedat actualitatem efficientis creati, vere tamen, et proprie procedit ab ipso, ut actuatur, et determinatur per concursus Dei, et non solum unitur essentiæ ab agente creato, præsertim, quia vix potest explicari quomodo fiat hæc unio non producendo simul existentiam, cum existentia ista sit terminus productionis in facto esse, seu ipsamet productio in facto esse. Unde non potest intelligi productio ut uniens existentiam, sed ut terminata per illam. Ac denique hoc urgetur, quia si existentia ipsa, seu forma, aut aliquid aliud ponitur tamquam dispositio, ut uniatur illi existentia, vel disponit ad existentiam ut posita extra causas, vel ut intra illas. Si ut intra causas non habet aliam dispositionem, quam

possibilitatem, et sic non magis disponit talis possibilitas ad unionem cum existentia, quam quidquid aliud quod est intra causas, omnia autem intra causas sunt nihil, et sic æque indisposita manet ad unionem existentiae quousque ponatur extra causas. Si autem forma disponit ad existentiam unionem prout extra causas, jam supponitur producta, et existens, et consequenter non disponit ad unionem, sed ipsa productione existentiae fit.

## ARTICULUS III.

*Utrum actualis operatio Dei sit ratio formalis præsentiae divinæ ad res?*

I. Certum est in hac parte essentiam divinam per suam substantiam esse præsentem rebus tamquam per extremum hujus præsentiae, ipsa enim substantia Dei est, quæ dicitur præsens rebus, easque immediate, et intime tangere. Neque hoc est indecens divinæ substantiæ, ut aliqui inepte putarunt æstimantes Dei majestatem ex majestate regis humani, cui indecens esse in omnibus locis suæ ditionis, sed solum in curia sua. Hoc autem non potest competere Deo, qui cum sit principium totius entis, oportet: *Quod omnibus det esse, et vitam, et inspirationem, et omnia, ita ut in ipso vivamus, noveamur, et simus*, ut dixit Paulus, Actor. xvii. Itaque non debet Deus in hoc comparari regi respectu sui regni, sed animæ respectu sui corporis, non enim anima secundum suam substantiam minus est in capite, quam in pede. Deus autem non est quidem anima mundi informando, sed est radix totius creaturæ agendo.

II. Inquirimus ergo de ratione formali, qua ista substantia divina tangit res, quibus redditur præsens, sicut enim corpora redduntur præ-

sentia corporaliter mediante quantitate tamquam ratione formali contactus, licet ista substantia corporea sit extremum, quod redditur præsens: ita inquirimus, quæ sit ratio contactus in substantia divina; cum enim in spiritualibus loco quantitatis sit contactus virtutis, ita oportet assignare virtualem contactum in Deo, quo tangit creaturas, an sit ipsa operatio Dei, an aliquod aliud attributum.

III. Ad duas sententias reducuntur multæ, et variæ, quæ in hac parte sunt. Prima est affirmativa quod operatio Dei sit formalis ratio hujus contactus, ut productiva creaturarum ad extra, ita quod non se habeat tantum, ut conditio requisita ad existentiam Dei in rebus, quatenus producit extremum, scilicet rem creatam cui Deus assistat, sed quia est ipsa ratio formalis existendi in rebus.

IV. Secunda sententia est negativa, quæ convenit in hoc, quod operatio Dei non est ratio formalis existendi in rebus. Sed valde dividitur in explicando quidnam sit illud, quo Deus positive tangit res creatas, et existit in illis. Nam quidam dicunt ipsammet substantiam Dei esse immediatam rationem existendi in rebus. Ita p. Vazquez hic disput. xxvi, cap. iv, qui tamen negat infra, q. lii, art. i, disputat. clxxxviii, cap. vi Angelos existere in loco per suam substantiam, eo quod Angeli moventur de loco ad locum, et sic aliquid debent acquirere præter suam substantiam, quod ipse putat esse modum absolutum superadditum essentiæ Angeli. Alii existimant Deum existere in rebus per suam infinitatem, quæ facit negationem indistantiæ, quod attribuitur Aureolo in i, dist. xxxvii, art. i et Richardo ibidem, q. i, qui etiam addit simplicitatem ut sit Deus totus in toto, et totus in quali-

bet parte. Et in ipsam infinitatem virtutis etiam inclinatur Valentia hic puncto i, § Dico ultimo. Alii hoc reducunt ad attributum immensitatis, quæ se habet ut modus ubi, seu præsentia divinæ, et per illam habet Deus extensionem virtualem, sicut corpus per quantitatem habet extensionem formalem. Addunt tamen requiri ex parte creaturæ productionem et positionem ipsius, ut immensitas hæc dicatur habere præsentiam quasi relative, et denominative, non enim Deus est præsens alteri tamquam extremo relationis præsentia nisi alterum extremum detur, cui præsens sit. Et ex hac parte præsentia in quantum sic est mutua, et relativa, fundatur in operatione Dei, quatenus ponit creaturam, ut extremum præsentia, non tamen se habet ut ratio formalis, qua Deus virtualiter est extensus, et ut sic dicam dispositus ad assistendum alteri, et tangendum illud, et ratione cuius habet virtualem extensionem immensam, et sine termino. In hac sententia conveniunt p. Suarez, d. xxx met. sect. vii, præsertim num. xviii et xxix et xxxii et xl, lib. ii de attributis negativis, cap. ii; Curiel, in opusculis, controvers. v, art. v; Molina hic disp. iv; Arrubal, disput. xi, cap. v et alii, et denique inclinatur Scotus in i, dist. xxxvii, quæstione unica, ubi docet immensitatem non sequi ex omnipotentia, seu ex operatione, et in fine quæstionis insinuat duas præsentias, aliam secundum essentiam, quam attribuit immensitati, aliam secundum operationem, quæ sequitur ad omnipotentiam, licet ipse existimet non esse necessarium, quod res sit ubi operatur.

V. Pro explicatione sententiæ Div. Thomæ notandum est, quod immensitas in Deo consideratur a nobis ad modum quantitatis virtualis, quatenus id facit immensitas in

Deo, quod quantitas in corporibus, scilicet reddere præsentem rebus, et locis. Quantitas autem in ordine ad istam præsentiam corporalem duos effectus habet; primus est extensionis secundum quod plures, vel pauciores partes quantitas habet, et majorem, vel minorem occupat locum. Alius effectus est quantum ad modum contactus, quatenus ita tangit aliam quantitatem; quod solum in superficie illi conjungitur, non autem interius penetrat, quia potius contactus quantitatis obstat penetrationi. Quod si dividat rem aliquam, non dicitur penetrabilem, sed intra divisionem factam ingreditur, superficies laterum tangendo.

VI. In quantitate autem virtuali etiam proportionaliter iste duplex effectus considerari potest, nam in primis virtus dicitur habere extensionem dupliciter, scilicet, quia ex majori, vel minori subjecto potest incipere operationem suam, vel quia in majorem, aut minorem spheram potest operari effectum suum. Et quia unde incipit operatio agentis, vel diffusio virtutis ejus, quæ etiam operatio est, oportet, quod ipsum agens secundum substantiam sit, inde est, quod virtus operativa Angeli secundum quod incipit operationem suam ex aliquo subjecto est apta, et idonea ratio, ut Angelus virtualiter, seu spiritualiter sit in loco, et secundum quod est major, vel minor virtus, plus, vel minus applicata illi parti, unde incipit operatio Angeli dicitur esse in majori, vel minori loco: potest tamen extendere, et diffundere virtutem suam, et effectus suos ponere etiam ultra locum, in quo est, scilicet, intra spheram, in quam potest, de quo latius agemus infra quæstione lii.

VII. At vero secundus effectus quantitatis virtualis qui est modus habendi contactum magis, vel mi-

nus intimum, et penetrativum rei, attenditur penes hoc, quod intra terminos alicujus rei operetur, et ingrediatur, vel extra maneat. Et quidem virtus spiritualis ipsius Angeli debet præsupponere subjectum, cum conjungatur ad operandum, eo quod non potest agere, nisi actione eductiva, et consequenter ex aliquo præsupposito subjecto, ex quo educit effectum. Unde respicit subjectum præsuppositum, non ut factum a se, effectum vero suum ponit in illo, et educit ex illo; sed quia spiritualis substantia est, potest intra terminos quantitatis rei corporeæ operari, non tamen ipsum esse substantiæ præbere, sed præsupponere, ut ex illo educat effectum. At vero anima rationalis informando ingreditur corpus, et non solum agendo effective, sicut Angelus, et ita non solum est intra terminos quantitatis, sed etiam ipsum esse substantiale præbet composito, quod resultat, et materiæ quam informat, sed tamen non totam entitatem præbet materiæ, sed præsupponit entitatem ejus potentialem tamquam informabilem a se, et hanc non constituit, neque facit sed præsupponit. At vero virtus divina ita universalissima est, et infinita, quod nihil respicit ut præsuppositum, sed omnia ut effectum etiam materiam primam. Unde contactus divinus ex ipso modo virtualis contactus ut divinus est, necessario petit operationem, quia necessario respicit extremum attactum, ut effectum. Et ita contactus iste debet esse summe intimus, et perfectissimus, quia nihil præsupponit, super quod cadat, sed omnia facit, et fundat contactu suo, et attingit ut effectum potius, quam passum, quia omnium est radix, et principium juxta illud Rom. xi: *Non tu radicem portas, sed radix te*: et ad Hebr. i: *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Et hæc est

ratio, quare Deus solus dicitur illi animæ, et creaturæ, quia solus est radix totius esse, et sic ejus contactus illabitur ad omnia nihil præsupponendo: omnis autem creatura habet contactum præsupponendo aliquid, cui superaddat per contactum, non cui illabatur ut radix.

VIII. Hoc præsupposito, sententia D. Thomæ est, quod ipsa operatio Dei immanens secundum quod virtualiter est transiens, et ponens effectum in esse, est formalis ratio a priori contactus divini ad creaturas, et existentiae Dei in rebus quantum ad contactum. Hæc est mens D. Thomæ in hac quæstione; articulo v, concludit enim D. Thomas: « Quod Deus est in rebus non sicut accidens, nec sicut pars essentiae, sed sicut agens, et quia agit ipsum esse profundissime, et intime est in rebus. » Ubi s. doctor non probat solum Deum esse præsentem, sed etiam tradit modum, et rationem, qua præsens est, scilicet per modum agentis, et sic rationem agendi non sumit, tamquam rationem a posteriori ad probandum Deum esse in rebus, sed tamquam rem intentam in conclusione probat illam. Et quando negat quod Deus non existit in rebus, sicut pars essentiae, vel ut accidens, negat illa tamquam modum, et rationem formalem existendi in loco. Ergo quando dicit, quod est sicut agens affirmat id, tamquam rationem formalem, et non ut conditionem, quia contraponit id aliis duobus negatis: tum denique, quia si actio Dei solum est conditio, quia requiritur ad hoc ut ponatur aliud extremum, cui debet esse præsens, ergo ex ipsa ratione agendi solum posset inferri, quod datur extremum, cui Deus assistat, non vero quod tali modo assistat illi, scilicet intime, et profunde in illo existendo, hoc enim inferri non potest, si actio Dei solum est conditio

ponendi illud extremum, non ratio habendi intimum illum contactum, et præsentiam. Eodem modo explicat D. Thomas hanc rationem existendi in rebus in I, dist. xxxvii, quæst. I, art. I et II, qu. II, art. I et III, ubi explicat modum proprium Dei existendi in loco per hoc, quod dat loco naturam locandi, et continendi, et quod non est ubique ab æterno, quia esse in rebus importat relationem fundatam in operatione, ergo sentit, quod ratio formalis a priori habendi præsentiam est operatio, si quidem est fundamentum relationis præsentiae. Ac denique III contra gent. cap. lxxviii, in fine, inquit: « Quod Deus non determinatur ad locum, vel magnum, vel parvum ex necessitate suæ essentiae (in quo aperte rejicit sententiam Vazquez de existentia Dei in rebus per suam substantiam) quasi oporteat eum esse in aliquo loco cum ipse fuerit ab æterno ante omnem locum, sed immensitate suæ virtutis attingit omnia, quæ sunt in loco, cum sit universalis causa essendi. » Et concludit: « Quod Deus non est ubique tamquam divisus per spatia, neque ut punctus, qui habet determinatum spatium, neque ut materia, neque ut forma, sed ad modum causæ agentis. » Cum ergo apud omnes constet immensitatem esse rationem formalem existendi Deum in rebus, si hanc dicit D. Thomas esse immensitatem virtutis, non autem ex necessitate essentiae determinare locum, plane sentit, quod virtus, et operatio Dei est ratio formalis existendi in loco, aut fuit valde diminutus explicando per operationem, conditionem requisitam, nunquam autem rationem formalem.

IX. Fundamentum autem conclusionis communiter sumi solet ex auctoritate illa Actorum xvii, ubi Paulus loquens de Deo dicit: *Non*

*longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*, ubi illis verbis non longe est, significari videtur indistantia præsentiae, non autem solum præsentia objectiva, qua Deus est in cognitione nostra, ut aliqui exponunt, constat enim, quod a multis nostrum Deus est longe secundum hanc objectivam præsentiam, quia a multis non cognoscitur Deus, præsertim: *Cum insipiens dixerit in corde suo non est Deus*. Similiter illa causalis in ipso enim vivimus, etc. significat causam propriam, quare Deus non sit longe a nobis, scilicet, quia in ipso vivimus, et sumus, quod utique ex operatione Dei habemus. Si autem solum a posteriori procederet hæc ratio Apostoli, procederet utique ex aliquo effectu nobis notiori. Licet autem nobis notissimum sit, quod vivimus, et sumus, non tamen est effectus nobis notus, quod in Deo sumus, et in Deo vivimus, non ergo hoc assumitur ut effectus a posteriori notior, ad probandum, quod Deus non sit longe a nobis, sed ut ratio indistantiae a nobis. Videndus est in hunc sensum Apostoli Hieronymus in caput Habacuc ad illa verba: *Dominus in templo sancto suo*, et super caput lxxvi Isaiaë explicans illud: *Cælum, et terram ego impleo*: Ambrosius super Psal. cxviii, ad illa verba: *Prope es tu Domine*: Irenæus, lib. iv adversus hæreses cap. xxxvi: Oecumenius super cap. xvii Actorum: Athanasius de incarnatione Verbi inter medium et finem: Chrysostomus, homil. xxxviii, in Acta, ubi licet dicit dedisse nobis Deum vitam, et spiritum, et duxisse nos ad sui notitiam dando hæc, per quæ possimus illum invenire, ex quo Vazquez disp. xxviii, cap. iv, processit ad intelligendum hunc locum de præsentia objectiva, tamen etiam supponit loqui Apostolum de reali Dei

præsentia, dicit enim Deum omnibus prope esse, qui in toto orbe sunt, et tam prope ut absque illo non vivamus, etc. Quare hæc intelligentia est communior patrum et litteralior.

X. Ex ratione autem hoc idem deducitur, quia contactus aliquis tanto est perfectior, quanto in re, quam tangit est intimior, ita quod ex ipso modo tangendi intra rem esse possit, si enim solum manet extra, et non intra rem, hoc ipso est limitatus contactus, utpote habens terminum ultra quem, vel intra quem esse non potest. Ille autem est contactus infinitus respectu alicujus rei, qui non habet terminum in tangendo, sed nihil intactum relinquit in re quam tangit. Ad hoc autem necesse est, quod talis contactus non supponat extremum, sed faciat, nam si aliquid supponit, cui adhæreat, et quod tangat superaddendo aliquid, quod illi applicat, hoc ipso habet contactum quasi extrinsecum, et non intime illabitur intra primum esse rei, sed illud præsupponit, et tamquam extrinsecus, et superficialiter supervenit illi. Et hæc est ratio D. Thomæ in II, dist. viii, q. I, art. v ad III, ubi explicans quomodo Deus contactu suo illabitur rebus, inquit: « Quod in essentia non intrat nisi ille, qui dat esse, scilicet Deus creator, qui habet intrinsecam essentiae operationem. Aliæ autem perfectiones sunt superadditæ ad essentiam. » Ex quibus verbis colligitur, quod omnis contactus, qui fit per additionem ad aliquid, quod supponit, et cui se applicat non est contactus intimus, et illapsivus, sed extrinsecus, seu superadditus, et consequenter, non summo, et infinito modo rem tangit. Et ita Angelus quando intrat in corpus, licet sit intime quoad terminos loci, et quantitatis, ut ibidem dicit D. Thomas non tamen intra

terminos essentiæ, et substantiæ. Et similiter anima licet intimius penetret materiam, quam Angelus quantitatem, quia informat illam in esse substantiali, tamen quia præsupponit entitatem potentialem materiæ, cui superinducit esse substantiale, non totaliter illabitur entitati materiæ: Deus vero neque quantitatem, neque materiam, neque substantiam, neque aliquid entatis præsupponit, sed omnia dat, et ita contactus ejus debet esse perfectissimus, et maxime intimus, et illapsivus in res, quas tangit, ita quod prius intelligitur contactus ejus incipere quam præsupponatur res, ad quam terminatur contactus Dei, ut accurate notavit Cajetanus in præsentis articulo, §. Ad objectionem, quia contactus divinus non supponit, sed facit extremum, et ideo coincidit præsentia immensitatis cum præsentia operantis.

XI. Ex quo colligitur, quod in isto perfectissimo, et intimo contactu, substantia Dei non est applicabilis ad alterum extremum, sed applicativa alterius extremi ad se, in quo supereminet Deus ad omnem contactum creatum; omnis quippe creatura tangit alteram applicando se ad illam, et præsupponendo aliquid, cui superaddat contactum sui. Deus autem non præsupponit aliquid cui se applicet, sed omnia facit, et respicit tamquam effectus suos non ut subjectum præsuppositum, unde contactus ejus debet esse applicando alia ad se, et immutando, non vero applicando se ad alia tamquam ad præsupposita. Et in hoc consistit ratio Apostoli, quam supra explicavimus; nec enim dixit Deum non esse longe a nobis, quia est immensus, aut infinitus, sed quia in ipso vivimus, et movemur, et sumus, quia videlicet ratio existendi in nobis, non est aliquid quod reddat ipsum applicabilem nobis, sed po-

tius quod nos applicet; ut in illo simus. Unde immutationem nostram, qua vivimus, et movemur in ipso, posuit tamquam causam existendi non longe a nobis.

XII. Dices: Deus dicitur unicus passive creaturæ, ut patet in humanitate Christi, cui passive est unita Persona divina, et intellectui beati est unita essentia, in ratione speciei, ergo etiam dicitur passive applicabilis, et tangens suo contactu creaturam. Respondetur Deum denominari quidem unicum passive ratione unionis relativæ conceptæ, sic enim ex parte Dei unio est relatio rationis, qua Deus dicitur relatus ad humanitatem, et consequenter unicus. Cæterum fundamentum hujus relationis unionis quæ constituit humanitatem conjunctam Deo est actio divina immutans, et trahens humanitatem ad se, ut docet S. Thomas III p. q. II, art. VI, et idem est de unione essentiæ in ratione speciei, Deus enim unitur intellectui non per mutationem sui, sed per immutationem intellectus ad se. Et eodem modo ratio, et fundamentum contactus divini ad creaturam non est aliquid passivum, et applicabile Dei ad creaturam, sed aliquid activum, vel applicativum creaturæ ad se.

XIII. Ex dictis sequuntur duo. Primum est, quod licet in creaturis spiritualibus, ut in Angelis ratio contactus, et præsentia ad corpora sit quantitas virtutis, quatenus etiam operatur circa illa, ut dicemus infra q. LII, tamen aliter pertinet operatio in Angelo ad rationem formalem præsentia, et contactus, aliter in Deo, nam in Angelo requiritur operatio ad contactum, quatenus non solum elicit effectum ex corpore cui applicatur, sed quatenus per eandem operationem prius se reddit applicatum corpori, ut subjecto præsupposito, ex quo debet producere effectum, quam ipsum

effectum operetur. Et hoc ideo, quia Angelus operatur per actionem eductivam, atque ita præsupponit subjectum, non facit, unde oportet, quod virtus Angeli operativa applicetur, et uniatur subjecto, tamquam rei præsuppositæ non factæ a se, et ex hac parte contactus ejus non est intimus, nec illapsivus, sed superaddens ad rem quam præsupponit. Cæterum virtus divina ita universalissima est, quod nihil respicit ut subjectum, quod non sit etiam effectus ejus. Unde operatio ejus non reddit ipsum præsentem per modum applicationis ad rem præsuppositam, sed per modum effectionis ad effectum, quam suo contactu attingit, quia antecederet ad suam operationem nihil præsupponit cui superaddatur.

XIV. Secundo colligitur, quod attributum immensitatis ad duo attributa consequitur, et habet respectum secundum duplicem ejus considerationem. Primo enim immensitas consideratur quantum ad suam extensionem, et spheram cui potest assistere, et coexistere, et sic cum spherâ illius sit infinita, et omni termino carens si sequitur ad attributum infinitatis, qua ratione Div. Thomas post attributum infinitatis tractavit de immensitate, quia ut dicit in initio hujus quæstionis VIII, infinito convenit esse ubique. At vero immensitas secundum quod dicitur rationem formalem, et modum habendi contactum ad res, quibus assistit, sic consequitur ad virtutem operativam, ita quod antecederet ad operationem non intelligitur contactus divinus, ut divinus est, hoc est, ut non præsuppositivus alicujus subjecti, quod non sit effectus ejus, et cui applicetur, sed ut factivus omnium eorum, quæ tangere potest, et hoc per locum intrinsecum, in quantum contactus intimus et illapsivus est, tanto perfectior, quanto mi-

nus præsupponit id quod debet tangere, sed facit. Et hoc modo explicari solet in Scriptura, et patribus ratio divini contactus ad omnia, sicut Sapientiæ VII dicitur: *Quod divina sapientia ubique attingit propter suam munditiam*: et subditur causa: *Vapor est enim inquit, virtutis Dei*, ergo contactus ille ad omnia, seu ubique ex virtute Dei consequitur. Unde Augustinus, lib. II de sermone Domini in monte, cap. V.: « Ubique, inquit, est præsens non locorum spatiis, sed majestate potentiæ, » et VII de civitate cap. « Deus ubique totus implens cælum et terram præsentem potentia non absente natura. » Et Gregorius Nysenus, oratione II de Christi resurrectione: « Qui per divinam potentiam ubique est. » Et Fulgentius, lib. de fide ad Petrum, cap. IX: « Firmissime tene, et nullatenus dubites Trinitatem Deum immensum esse virtute, nec mole. »

XV. Quod si dicas: « Nam multa attributa dicunt ordinem ad res ad extra perficiendo illas, sive immanenter, sive transeunter, sicut justitia, misericordia, providentia, et similiter omnipotentia habet immutare res ad extra, ergo si contactus Dei non est aliud, quam contactus virtutis, et operationis non distinguetur contactus immensitatis ab ipso attributo omnipotentia, per quam res immutantur ad extra, ergo si distinguatur attributum immensitatis ab attributo omnipotentia, antecederet ad operationem debet habere rationem existendi, et assistendi rebus extra se, nam hoc ipso, quod existit in se potest coexistere aliis, et habere præsentiam ad illa. Ad quid ergo requiritur aliquid amplius ad habendum contactum erga alia. Et confirmatur in humanitate Christi, quam Deus terminat non per operationem, sed per ipsam subsistentiam et esse, ergo datur in Deo